

1505  
Pontificis  
& Veneto-  
rum contro-  
versiae.

missurum. Ea Guidi Ubaldi oratione Antonii literis ad Patres perlata, Senatus, ne cuiquam obstinatior videri posset, Antonio rescripsit: si ei Julius fidem faciat, ita fore, uti Guidus Ubaldus ei dixit, se fines illos restituaturum, legatosque quos creasset octo ad illum missurum, suumque in eum studium & observantiam præstaturum. Quo responso accepto, Julius & Antonio de Arimino atque Faventia liberaliter est pollicitus, & magnam se ex eo voluptatem cepisse, apud suos familiares præsetulit. Senatus de eo certior factus, oppidula decem numero cum eorum finibus uti Julio restituerentur, censuit: in quibus Cesenæ portus, qui est in maris litore, Savinianum, Toffinianum, Archangelianum fuere. Iis Julii internuncio, quem ad id in Flaminiam miserat, per legatos reipublicæ restitutis, Julius rem ad collegium deduxit, laudatusque ab omnibus, quod se ad concordiam cum Senatu dedisset, magnum sui consilii fructum tulit. Unus Franciscus Soderinus Cardinalis, cum & ipse Julium verbis honorificis extulisset, addidit, eo se magis illum laudare, quod quemadmodum fines illos recuperavisset, ita etiam Ariminum ab eo atque Faventiam brevi recuperatum iri confidebat. Legatio postea, de qua supra dictum est, Romam missa ab Julio libentissimo recipitur: ii fuerunt, Bernardus Bembus pater meus, Paulus Pisanus, Hieronymus Donatus, Nicolaus Foscarenus, Andreas Venerius, Andreas Grittus, Leonardus Mocenicus, cuius pater Joannes Venetorum Dux fuerat, & Dominicus Trivisanus templi Marcii procurator. Ejus legationis Bernardus Bembus propter ætatem principem locum tenuit. Andreas Grittus & Nicolaus Foscarenus e sexviris, qui Principi assident, legationem inierunt. Antonio autem, cum diu Romæ in ea legatione fuisset, reiquepublicæ singulari suo studio atque prudentia magnopere satisfecisset, domum est redditio permissa. Atque hæc vere medio eum, quem diximus, eventum habuerunt.

Aestate vero inita, Alfonsus Atestinus, ut Lauredanum Principem & Patres regni sui initio salutaret, magno co-